

Versiones

CUM EXPOSITIONE IV. usque ad Vers. 23.

- 60. Ver. 19. Multi ex eis, qui fuerunt curiosa sectati. Syriac. Multi ex Magis, Arabic. Multi ex Magicarum artium cultoribus. quid vero per curiosa intelligatur diversa est multorum sententia. Primo Mariana intelligit libros opificum permutantium metalla ex ere in aurum alii per curiosa accipiunt Astrologiam, astrologosque judicarios, Tertio, & verius D. Chrysof. Oecumen, Beda Glossa, & Lyran magicam artem, & pro hac sententia stat Lectio Syriaca, & Arabica, & coheret cum tota historia ex gestis cum filiis Scevæ supra vers. 15. Unde iste timor trahendi libros manavit.
61. Tulerunt libros suos Syriac. Congregaverunt libros suos ad Apostolorum pedes, combusserunt eos in contemptum Diaboli, ac honorem doctrinæ Apostolorum. Computatis pretiis illorum, hoc dicitur ad ostendendam obedientiam illorum, quod libros, quos tam carè emerant, tanta cum voluntate à se abiciebant.
62. Invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium quibus empti fuerant libri Budæus l. 5. de Asse, & alii existimant hoc pretium fuisse quinque mille aureorum.
63. Ver. 20. Ita fortiter crescebat Verbum Dei. Syriac. Usque adeo virtute ejus invalescebat. Arias Per potentiam crescebat. Arabic. Invaluit prout dicebat majestatem ejus, per augmentum fidei credentium.
64. Ver. 21. Proposuit Paulus in spiritu, non tamquam motus sua voluntate, seu ab Spiritu Sancto transire per illas regiones ad confirmandos Catholicos in fide, & ad novos lucrandos, ire Romam quia ad eam instinctu Dei paulus vocabatur.
65. Ver. 22. Mittens autem in Macedoniam, ut cuncta essent disposita cum veniret, & collecta elemosynarum esset facta ad portandum fratribus in Hierusalem. 1. Corinth. 4. num. 10. Erastum, qui Rom. 16. n. 23. vocatur arcarius, id est quæstor civitatis, postea creatus est Episcopus, Philipp. ibi martyrio coronatus inter sanctos adscriptus Martyrolog. Rom. die 16. Julii.
66. Ver. 23. Turbatio non minima. Syriac. Tumultus maximus. Arabic. Contentio magna de hac doctrina, scilicet Christiana, ac fide Christi, quæ à multis male exponebatur, de quo conqueritur Apostolus 2. Corinth. 1. num. 8. & ait: Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere.

QUÆSTIO IX.

Quare isti fideles credentes combusserunt suos libros?

67. UT patet ex vers. 19. Isti fideles igni tradiderunt suos libros quamvis essent magni pretii, ut cõstat ex nostra expositione, ut ita ipsi ab æterno incendio liberarentur; libri enim iniquæ doctrinæ est quædam pestis veneno totum orbem inficiens, hinc Athenienses & Rom. solebant hujusmodi libros comburere, ut etiam fecerunt multi & magni Laurentius Gambara Franciscus Petrarca, Antonius Muretus, Æneas Sylvius, &

multi aliis quos reter lorinus in præfati §. deinde documentum.

Unde merito Christiani Imperatores sanxerunt hæreticorum libros, utpote valde nequissimos esse comburendos Honorius Imperator, & Theodos. L. mathemat. L. ultima de hereticis Cod. Theodos. Idem determinarunt Sacri Canonices, & Concilia præsertim Trident. de quo latè Bellarm. lib. 3. de Laicis cap. 10.

Ait Isaias cap. 9. num. 11. Levabit Dominus hostes Rasin super eum, & inimicos ejus in tumultum vertet. Syriam ab Oriente, & Philistiim ab Occidente, & devorabunt Israëlẽ toto ore. Ab Oriente & Occidente congregantur ad devastandum, ac devorandum Israëlẽ & unde illi tam calamitosum tempus, quibusnam armis ad ejusmodi parant forsitan gladii, lanceæ, sagittæ, minime, sed ore eructante iniquam doctrinam, qua in idololatriam prolapsus est: Ore devorabunt. Nover. D. Cyrill. Alexandr. lib. 1. in Isai orat. 6. ait: Devorat Israëlẽ alio modo; nam Poëta, & Historici ad summum apicem faciundia pervenientes, & dicendi facultate præstantes, ac viri sapientes Israëlẽ spirituales, id est mentem contemplativam Dei arripiunt, & eos, qui jam in Christum crediderunt, seducunt, ut malint cum ipsis creaturam pro creatore adorare. Hi toto ore Israëlẽ devorant. Ecce humana faciundia, & millia verba grata humanis sensibus multos ore devorant à se Christi, ut potius eligant adorare creaturam, quam creatorem.

Jerem. 51. num. 7. ait: Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino ejus biberunt omnes, & ideo commota sunt, subito cecidit Babylon, & contrita est. Iste Calix Babylonicus, qui erat veluti liber, de quo erat plenus, quæve ejus materia, Idololatriæ nempe quæ exterius aureus videtur condescendens humanis appetitibus, atque licentiosis facultatibus: Inebrians omnem terram, faciens omnes dementare, & alienare à suo judicio, ac recta ratione, ut relicto deo vero Deos sequantur falsos, ac alienos, & inde quid sequuntur? Subito cecidit Babylon, ac contrita est hoc est, subito, repente, & inopinatè ceciderunt Origenes homil. 2. in Jerem. Cognoscis, quomodo unusquisque Poëtarum, scilicet scriptorum, qui putantur disertissimi Calicem aureum temperaverit, & in Calicem aureum venenum iniecerit idololatriæ, & venenum turpis eloquii, venenum eorum, quæ animam hominis interemerunt, dogmatum. Expende illud turpis eloquii, & etiam venenum eorum, quæ animam hominum interemerunt, dogmatum.

QUÆSTIO X.

Quare illi tantum combusserunt libros magicos, alios vero apud se retinuerunt?

Libros malos magicos, ac pestiferæ doctrinæ combusserunt alios vero, ut sacræ doctrinæ, tamquam epistolæ Dei ad nos missas, ut eos appellat D. Gregor. l. 4. epist. 84. tamquam utilissimos, ac valde proficuos apud se tenent, ac retinent, de quo Apostolus laudat suum discipulum timoth. 2. c. 3. n. 14. Ubi ait: Tu vero permansisti in iis, quæ didicisti quia ab infatigata sacræ literæ nos, quæ te possunt instruere ad salutem. Dixit sacræ, quia non solum in se sunt sacræ, sed etiam ut ait Clem. Alex. orat. 1. ad gentes: Sunt enim verè sacræ literæ, quæ sacros faciunt homines, & quos Paulus sacros dicit, Jonatas sanctos profitetur 1. Machab. 12. n. 9. Habentes solatio sanctos libros.

72. Et ad illud Pauli literas nosti, ex græco legi potest: Sacras picturas nosti. nam Gramma picturas etiam sonat; nam ex lectura sacrorum librorum agnoscit homo qualiter debeat suum animum pingere, & qualiter lineas suarum actionum deducere coloresque varios virtutum, pro tempore, ac occasione assumere.

73. Cum meus Jesus penderet in Cruce prætereuntes blasphemabant, alios salvos fecit, se ipsum non potest saluum facere. Id ipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, ut scribit D. Matth. 27. n. 4. Subito latro Dimas mutatur, ac convertitur, Christi prædicat sanctitatem: Hic nihil mali fecit Luc. 33. num. 41. suam iniquitatem recognoscit. Nos qui dem juste digna factis recipimus & loci malam sententiam reprehendit: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es num. 40. & statim conversus ad Jesum dicebat ei, Domine memento mei, n. 42. Unde in latrone tam subito pietas, cura, Religio agnoscens Christi majestatem, cum multa essent argumeta carnificinæ Judaicæ, quæ Christum regem, & Dominum non esse persuaderent: Unde ergo illi tam cœlestis doctrina attendit latro ad illum dñivum Crucis titulum. Jesus Nazarenus &c. num. 38. oculisque prælegit, quisnam Christus homo esset, & ex illa lectura totam Christi doctrinam hausit, & sanam mentem recepit, & hoc innuit Evangelista, nam post titulum affixum in Cruce num. 38. immediatè latronis conversionem commemorat. Venuste Arnoldus tract. de septem verbis ait: Jam tunc ad hanc scripturam latro pertinebat, & cum intra se litera illa colligebat, tamquam denotans, quod ex eo, quod latro legendo illas literas se collegit, & applicavit indeque Christi regnum notitia in se collegit, & agnovit.

74. Moyses Job librum ex Arabico convertit in hebræum, ut tenent Origenes lib. 1. in Job. Gregor. Magnus in præfat. Isidorus lib. 1. officiorum; Cur tamen & qua mente hoc fecerit, cum esset multis, & magnis occupatus negotiis in Ægypto, cur ad tale opus extendit manus suas. Videbat Israël, quod filios oderant Ægyptii, & affligebat illudem eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum. Exod. 1. num. 13. Cum ergo Hebræi tot, & tantis laboribus essent fatigati, & oppressi, & forte vacillantes in fide, ac promissis Veri Dei, inde Moyses illis proponit, ac literis explicat vitam patientissimi, ac constantissimi viri, ut ab illo ducant patientiam in afflictionibus, & constantiam, in adversitatibus, & ita miseri valeant suum lenire dolorem: Origenes citatus ait: Ut per cognationes & tribus hæc legentes invicem consolentur, & etiam ad nostram informationem, ac documentum hoc refert D. Gregor. Magnus lib. 2. in Job cap. 1. & ait: ut majorum virtus spem nostram foveat.

Acto 19. n. 24. demetrius enim quidam nomine argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ præstabat artificibus non modicum quæstum.

Versiones

CUM EXPOSITIONE V. usque ad Vers. 30.

75. Ver. 24. Nominis argentarius Syriac. Ludens argentii. Arabic. Faber argentarius, talis artifex erat, faciens ædes argenteas Dianæ. Syriac. Arabic. Faciebat delubra argentea ad formam ma-

76. joris Templi dianæ. conficiebat simulacra, seu imagines, vel sculpras in laminâ, vel solidas calato opere, quæ græci deferebant ad suas ædes, vel oratoria.

77. Ver. 25. Quos convocans, eos qui erant de simili officio. Hoc artificio est nobis acquisitio. Syriac. Merce, arabicus, Æthiopic. Quæstus, nempe pecuniarum, ad vivendum, atque ad alimentandum.

78. Ver. 26. paulus suadet quod nostri dii non sunt Dii, & ita avertit ab emptione imaginum; & totus noster quæstus perit.

79. Ver. 27. Periclitabatur pars nostra. Quæstus nostri officii, sed etiam in redargutione venire. Arabic. In ignominiam venire, quia facimus imagines illorum, qui non sunt Dii, nec ullam virtutem habent Incipiet destrui majestas ejus Syriac. Ludibrio habebitur. Æthiopic. Annihilanda erit magnificentia ejus.

80. Ver. 28. O magna Diana Ephesorum. Omnes artifices exclamant pro Diana; (quæ valde magni sibi templo venerabatur Ephesi) magnifica tuam potentiam contra Paulum, qui te perituram prædicat.

81. Ver. 29. Impetum fecerunt uno animo in theatrum, seu in spectaculum, ubi rei, ac criminosi puniebantur. Ita Arator, Beda, Hugo, Lyran. & alii, & etiam rapiiebantur ad Theatrum Comites Pauli Caius, de quo cap. sequenti vers. 4. & Aristarchus Thessalonicensium postea Episcopus, & Pauli concaptivus, ut ipse eum appellat ad Colof. 3. n. 10. post longos ægones sub Nerone martyrio coronatur, ut habetur in Martyrolog. die 4. Augusti.

82. Ver. 30. Introire in Populum. Syriac. Prodire in Theatrum multum D. Chrysof. laudat, ac extollit generositatè Pauli, qui cum videret populum commotum contra se, volebat tamen ad illum adire, ut suis verbis illum placaret, atque pacificaret.

QUÆSTIO XI.

Quare Deus permisit tam magnificentum templum Dianæ adificari, & quanam illa esset?

83. Diana ex radice græca idem est, ac Jovini ana Duptote filia Jovis ex ratona eodè cum Apolline partu edita; eadem & Luna dicitur, sive quod nocte, una, id est sola sine fratre luceat, sive quod lumen à sole accipiat, quasi luce lucens aliena; Nocticula etiam appellata est. Hanc parturientes Junonis, & Lucinæ nomine invocabant, Junonem quidem appellantes ab adjuvando, Lucina vero qui partum in lucem proferre putabant, unde canit Virgilius Eglog. 4. Castæ fove Lucinæ, tuus jam regnat apollo. Amore castitatis fugit hominum consortium, tanquam venando incedens per Sylvas, & ideo eam depingebant armatam arcu, & pharetra, & de hoc multo plura Calepinus, & alii.

84. In Epheso ei dicatum est Templum valde amplum, & magnificentum, quod ob sui sumptuositatem inter septè orbis miracula computatur, ut refert Plinius lib. 36. cap. 14. ducentis viginti annis à tota Asia fabricatum est in solo palustris, ne terræ motus sentiret: In eo centum viginti columnæ fu erunt cœlatæ miro artificio, & singulæ à singulis regibus factæ, ac dicatæ, & ex eis 36. maximè eminebant in scriptura, ac cœlatura, longitudo Templi 425. pedum, latitudo 220. columnæ vero habebant in altitudine sexaginta pedes: In eo die quo Alexander magnus natus, hoc dianæ templum concremavit.

concremavit heroftratus, ut tali facto nomen suum in memoriali perenne permaneret ad posteros, & ideo sancitum fuit ut nomen ejus deleteretur ab omnibus libris, & quod nullus illud scriberet, sed tamen non defuerunt, qui illud literis madaverint

83. Paulus, d. Chry. folt.

Electis Dei omnia cooperantur in bonum, ait Paulus, si Gentiles tanta magnificentia erigebant templa suis falsis, ac commentitiis diis, qualiter nos Christiani, ut scribit d. Chrysof. homil. ad populum, debemus edificare, ac consecrare templa omnipotenti Deo vero, si illi talia praestabant demonibus, qui eos seducebant, & demergebant in infernum, inde, & maxime nos Christiani excitamur, & provocamur, ut multo majora cum omni veneratione, & cultu Domino nostro Jesu Christo, qui suo pretioso sanguine nos redemit qui est via, & veritas ducens nos ad salutem, qua nos fecit coheredes regni Caelorum.

84.

Ideo Domino, a quo tanta dona accepimus omni studio ac affectu debemus edificare templa, ut ipse in eis regnet, & inde in nos multa dona sua diffundat; Vaticanatur Isaias. 45. num. 1. Hac dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa regum vertam, & aperiatur coram eis januas. Propheta loquitur ad literam de Cyro rege futuro persarum, ut tenent d. Hieronym. noster. d. Cyril. Theodor. Procop. Euseb. lib. 6. Demonst. cap. 9. de eo prophetavit Isaias ducentis, & decem annis ante ipsum, ut tenet Josephus lib. 11. antiq. cap. 1. Sed unde Cyro tot, & tanta beneficia cumulantur a Deo, ut illi promittatur, & tradatur Monarchia Chaldaeorum, & insuper a Deo dicatur: Christo meo. Christus, ut tamquam si esset Rex a Deo peculiariter unctus & dilectus: meus tanquam singulariter a Deo dilectus, & in multa estimatione ac pretio habitus? Unde illi tot, & tanti favores cumulantur. Explicat Efdras lib. 1. cap. 6. n. 3. Cyrus Rex decrevit, ut domus Dei edificaretur, qua est in Jerusalem, & num. 4. subditur: Sumptus autem de domo Regis dabatur ad expensas Templi, qui magna manu se habuit in fabricando Dei templo, multum, & ampliori modo se largitur deus, ut illum multis, & praclarissimis victoriis, ac triumphis exalter, magnisque nominibus ipsum condecoraret, atque illustret. Isai. 44. n. 28. Dico Cyro Pastor meus es Graecus Sapiens meus & supra Christus meus, modo Pastor meus, sapiens meus.

Isai. 45.

d. Hier. d. Cyril. Alex. Theod. Procop. Euseb. Joseph.

Efdr. 1. 15. Qui edificavit templa multa domus ac nominibus condecorantur.

Isai. 44.

85.

Antequam Salomon admoveret manus ad aedificandum templum: apparet ei deus, data optione ut eligat quod petat, exorat cor docile, & sapiens amplissimè conceditur a deo, qui ait ei: Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens in tantum: ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. 3. Reg. 3. n. 12. Et unde tantum meritum in Salomone, a tam amplo, & magnifico sapientiae dono, illustratur, nondum ab eo templum erat aedificatum, sed tantum in desiderio, & affectu, ut disponderet omnia ad illius fabricam, & tam gratum est Deo templa construere, ac erigere, quod solum illius desiderium magna impetret a Deo remunerationem ipseque ad opus conficiendum multum adjuvaminis auxiliique praestet, & ideo tantam dedit Salomoni sapientiam ad magnificam ordinationem, atque architecturam templi. Abulens. ibid. q. 3. Dedi tibi cor sapiens, & intelligens, quia disposueras eum ad templum aedificandum, ac complendum omni sapientia. De hac aedificatione templorum Vide quae dixi tom. 4. in Evangel. c. 39. de Zachaeo q. 1. a. n. 7. usque ad 9. & tom. 5. lib. 7. cap. 4. q. 9. n. 63. 46. 65. 66.

Ad 2. l. cationem in tem. loru. Deus adjuvat. Abulens.

Actor. 19. n. 31. Quidam autem, & de Asia Principibus, qui erant amici ejus miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum.

Versiones.

CUM EXPOSITIONE VI. usque ad Vers. ultimum.

Vers. 31. Quidam autem, forte jam Cathecumeni, & amici pauli. De Asia principibus, Syriac. Primiores Asia. Rogabant eum ne se daret in theatrum Arabic. Ne se turba committeret. Ob manifestum, & evidens periculum.

86.

Syriac. Arabic.

Vers. 32. Alii autem aliud clamabant. Syriac. Turbae autem, quae erant in theatro valde tumultuabantur, alii aliud clamabant. Quod ita explico, quod illi qui erant in theatro: clamabant, quod Paulus ad illud duceretur, ac puniretur; alii contra clamabant, ne hoc fieret, paulus quippe non erat supplicio dignus. Confusa Ecclesia, seu Congregatio, scinditur in varia vulgus, plures nesciebant, erant tamquam perplexi si pro Paulo, vel contra.

87.

Syriac. In varia scinditur Populus.

Vers. 33. De turba autem detraxerunt Alexandrum, virum doctum ac eloquentem, & ludaeum ex media turba protraxerunt ad locum altum, & eminentem, ut notat tyrinus, ut verba faceret pro pace, & quiete Civitatis; nam contra Dianæ cultum convenerant Christiani, & Judaei, ut pote falsam Deam cognoscentes, & ideo Syriac. legit: Et sternerunt ex se ipsis ludaeum, Arabic. Animos ei ad dentibus ludais, nempe ut verba faceret contra cultum Dianæ, ac proinde nihil esse faciendum contra paulum merito talem cultum reprobantem ac damnanem.

88.

Tyrin.

Syriac.

Vers. 34. Vox facta est una. Syrus: Vociferati sunt omnes. Arabic. Spatio duarum horarum. Cum audissent verba contra dianam clamant: Magna Diana Ephesorum, ac si dicerent Veni, & age pro te, & pro causa tua.

89.

Arabic.

Vers. 35. Cum sedasset scriba turbas, Postquam quietus, & sedatus est tu nultus, & populus capax extitit audiendi, scriba. Graecus: Legis doctor Syriac. Princeps Civitatis, qui erat veluti cancellarius, ac magistratus, qui habebat jus dicendi ac dirigendi, hunc esse eundem Alexandrum, de quo supradictum est, tenent Glossa Ordinaria, Interlinealis, Hugo, Baronius, Sa. Contrarium mihi videtur verius cum Gajetano, Aria, Cornelio, quia ille Alexander erat Judaeus, & quomodo in Civitate gentiliū esset primus, deinde ut Judaeus non diceret laudes Dianæ, contra quam se opposuerunt Judaei, ut vidimus: Erat ergo iste scriba distinctus, & homo magnae auctoritatis, & bene affectus Christianis ut ex dicendis patebit.

90.

Graecus. Syriac.

Glossa. Ordin. Interlin. Hugo. Baron. Sa. Gajet. Arias. Carthus.

Quis est hominum, qui nesciat Arabic. Qui ignoret Syriac. Adivum esse magna Diana, simulachri de Caelo delapsi, Sic etiam & legunt Simulachrum. Arabic. Chrysof. Pagnin. Vatablus fingebant Ephesi dianæ suæ simulacrum non esse ab homine effectum, sed esse delapsum de Caelo, ut restatur Suidas, sicut & Trojam Palladion, & Romani Ancile.

91.

Vers. 36. Oportet vos sedatos esse Syriac: Nihil festinanter, d. Chrysof. Nihil precipitanter agere cum res sit valde manifesta in cultum dianæ.

92.

Syriac. Arabic.

Vers. 37. Neque sacrilegos, Neo fures vasorum. Arabic. laverunt. Arabic. fures vasorum. Ethiopic. Non commiserunt sacrilegium, ac proinde nullum crimè opponitis contra Paulum, ac ejus socios.

Vers

94. Syriac. Arabic.

Vers. 38. Conveniunt forenses aguntur, & Proconsules Syriac. Proconsul est in Urbe, Arabicus Sane in foro versantur, & in Urbis Imperatores adsum. Ecce in Civitate sunt iudices, qui causas, quae in foro externo excitantur judicant, ac determinant, & si isti iudices forenses non satisfaciunt, fiat provocatio, ac recursus ad proconsulem, ac magistratum superiorem.

95.

Arabic. D. Chry. folt. Vatabl. Menoch. Occum.

Vers. 39. Si quid autem alterius rei queritis. Si autem alterius majoris, & superioris iudicii ad publicam quietem exoptatis in legitima Ecclesia poterit absolvi Arabicus, In senatorum curia id poterit dignosci d. Chrysof. In legitima congregatione dividitur. Id est tanquam in Comitibus provinciae, ac Magistratu poterit tota hac controversia absolvi, & dirimi. Ita Vatablus, Menochius, & alii. Addunt d. Chrysof. Oecumen. hos coetus, seu congregationes ter in mense fieri solitos Ephesios.

96.

Arabic.

Vers. 40. Nam, & periclitamur argui. Scriba voluit sedare, & pacificare populum usque modo rationibus, nunc vero metu; quia Authores hujus tumultuariæ perturbationis poterunt accusari apud proconsulem, vel Imperatorem. & multas poenas dabunt. Cum nullus obnoxius sit. Arabic. In qua nemo causam reperiet ad excusandum tantum tumultum, ac perturbationem. Dimisit Ecclesiam illam nempe Congregationem in pace.

97.

Oecum. D. Aug. d. Hier. folt. D. Tho. d. Tho.

Ad calcem hujus capituli nota, quod Oecum, D. Anselmus Theophil & alii ex Recentioribus ipsos sequentes exponunt pugnam cum bestiis, quam paulus se Ephesi habuisse scribit 1. Corinth. 15. n. 32. de hac pugna, quam paulus cum hoc demetrio argentario habuit; nam homo fervidus ambitione, ac ira indomita bestia est.

98.

D. Aug. d. Chry. folt. D. Tho.

Tamen verior, & communior sententia est d. August. d. Chrysof. d. Thom. & aliorum d. paulum Ephesi in publico spectaculo cum bestiis pugnasse, & dei auxilio victorem evasisse, & d. Lucas non omnia scribit, ut illud a Judaeis quinquies quadragenas una minus accepit, & etiam illud, Ter virgis calus sum, ter naufragium passus sum 2. Corinth. 11. & alia similia.



C A P V T X X.

- 1. Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est ut iret in Macedoniam.
2. Cum autem perambulasset partes illas, exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Graciam.
3. Ubi cum fecisset menses tres facta sunt illi insidia a Judaeis navigaturo in Syriam, habuitque Concilium, ut revertetur per Macedoniam.
4. Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Beroensis, Thessalonicensium vero Aristarchus, & Secundus, & Caius Derbens, & Timotheus, Asiani vero Tychicus, & Trophimus.
5. Hi cum praecessissent sustinuerunt nos Troade.
6. Nos vero navigavimus post dies Azimorum a Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.
7. Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis

profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem.

- 8. Erant autem lampades copiosa in cenaculo ubi eramus congregati.
9. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergereur somno gravi, disputante die Paulo, ductus somno cecidit de tertio cenaculo deorsum; & sublatus est mortuus.
10. Ad quem cum descendisset Paulus incubuit super eum, & complexus dixit, Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.
11. Ascendens autem, frangensque panem, & gustans, satisque alloquutus usque in lucem; sic profectus est.
12. Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non minime.
13. Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum, sic enim disposuerat ipse per terram iter facturum.
14. Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo venimus Mitylenen.
15. Et inde navigantes sequenti die venimus contra Chium & alia applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum.
16. Proposuerat enim Paulus transmigrare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Ierosolymis.
17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesia.
18. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis, Vos scitis, a prima die, qua ingressus sum in Asiam qualiter vobiscum per omne tempus fuerim.
19. Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quae mihi acciderunt ex insidiis Judaeorum.
20. Quomodo nihil subtraxerim vilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos.
21. Testificans Judaeis, atque Gentilibus in Deum poenitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.
22. Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierosalem, quae in ea ventura sint mihi ignorans.
23. Nisi quod Spiritus Sanctus per omnes Civitates mihi protestatur, dicens, quoniam vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent.
24. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosorem, quam me, dummodo consummaverim cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi a Domino Iesu testificari Evangelium gratia Dei.
25. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi predicans regnum Dei.
26. Quia propter contessor vos hodierna die, quia mundus sura a sanguine omnium.
27. Non enim subterfugi quominus annuntia rem omne consilium Dei vobis.
28. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.
29. Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcetes gregi.
30. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.
31. Propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, & die non cessavi, cum lacrimis mones unumquemque vestrum.
32. Et